



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri Ivrisconsvlti Therothermae, siue Aqvae
Ferinae**

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1581

VD16 R 1499

LVI. Ad Carolum Vtenhouium. C. F. Terrae Nouae Dominum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12416

Quod satis est, quicumque cupit, nihil ille dolo
Abstinet ille malo: sustinet inde bonum.

LVI.

Ad Carolum Vtenhouium

C. F. Terræ Nouæ Dominum.

Quid me Luciferum Silesiorum
Dicis, CAROLE? non honore dignor
Me tanto: supera nitens vt aula
Secti accensear huius eruditi
Magnis sideribus. cometa saltem
Si flagrem ad breue tempus inter astra
Mundi: sat fuerit mihi. Quid ergo
Vis, quum Luciferum Silesiorum
Dixti, CAROLE? fallor? an vt aster
Idem Lucifer, Hesperusque mundi:
Phæbum luce sequi, vel anteire
Gaudet: luminis æmulus beati:
Soles sic ego iam corusciores
Mundi (seu genuina fortè tellus,
Sine hos extera protulit) subinde
Mirari soleo: quibus libenter
Asto proximus: vt colorer inde,
Perfundarūe serenior luce.
Sic Phæbum Clytie, comesque gaudet
Corpus vmbra sequi, vel anteire.
Sis tu, CAROLE, Sol mihi: repente

vel luce sequar, vel anteibo,
inipator tuus, æmula: nec unquam
Umbram me pudeat tuam vocari.

LVII.

Ad eundem.

De Anna Pallantia Poëtria.

Lucifer Auroram si, CAROLE, prouocat: & si
Aurora est Pallantiàs Eos:

Lucifer ipse tuam tuus hem nunc prouoco nym-
ANNA cui PALLANTIA nomē. (pbam:

Cui Musas, Charitesque facit Pallantiàs Eos
Fidas vel socias, vel amicas.

Lucifer euge! cui comes it Pallantiàs isthæc:
Musarum, Charitumque voluptas.

LIIIX.

Ludolpho Lithocomo

PR. Duffeldorpio.

Vox est prisca: Parit gratia gratiam:

Et fit semper Amor parens Amoris.

Nam si non sit amor mutuus, interit.

At par, IANE, pari tibi rependam

Quo pacto? placet hem dulcis amor tuus:

Pulcri gratia muneris probatur.

Quòd si non tibi par gratia redditur:

Par est semper amor meus futurus.

Ad